

haec fuit plurimorum meritorum, precellens in omni opere bono cunctas mulieres viventes in tempore suo, obiit 17. Kal. Decembris anno 1194 mense Novembri, requiescat in pace.

Auf derselben Seite aus der Grabinschrift in St. Waudru:

Hic iacet Balduinus comes Hannoniensis, vir venerabilis, prudens, princeps potens et illustris. Hic fuit filius comitis Balduini qui ante maius altare iacet, hic ex parte matris suae Namucum fuit adeptus, et inde primus marchio Namucensis appellatus, hic ex parte uxoris suae Margaretæ, quæ fuit filia Theodorici et soror Philippi comitum Flandriæ, Flandriam cum Hanonia et Namuco possedit. Hic habuit filios, quorum Balduinus primogenitus in Flandria et in Hanonia, Philippus vero successit in Namuco, habuit et filias quarum una fuit Elizabeth sanctissima Francorum regina. Obiit 17. Kal. Januarii 1195, requiescat in pace.

**Paris. Nat. Bibliothek. Baluze Armoires 76, fol. 330.**

Anno verbi incarnati 1178 sublimatus est in regem Philippus rex Franciæ.

Anno verbi incarnati 1187 captus est rex Hierusalem et crux Domini cum magno exercitu Christianorum a Salahadino.

Anno verbi incarnati 1149 Idus Septembris obiit Gaufridus comes Andegavensis.

Anno verbi incarnati 1199 obiit Richardus rex Angliæ.

Anno verbi incarnati 1179 tenuit Alexander papa Laterani concilium.

Anno Domini 1194 expulit ab ecclesia beati Martini omnes canonicos eiusdem ecclesiæ Richardus rex Angliæ.

Anno verbi incarnati 956 Idus Novembris sublimatus est in regem Lotharius filius Ludovici; et praetitulato anno obiit Hugo praepotens (sic) ecclesiæ beati Martini et dux Francorum.

Anno Domini 1015 dedicata fuit ecclesia beati Martini in die eius ordinationis et translatus corpus eius et caeterorum confessorum in eadem ecclesia.

Anno Domini 997, 8. Kal. Augusti incensum est totum castrum beati Martini et ipsius proprium monasterium cum 22 ecclesiis a fine ecclesiæ Sancti Hilarii, quæ est in parte orientis, usque ad suburbium sanctæ Mariæ pauperculæ, quæ est ex parte occidentis, ex parte vero meridiei a porta Perronis usque ad Ligerim.